



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exorcismorum

Eynatten, Maximilien de

Antverpiae, 1626

Ex eruditorum quorundam sententia alia de iisdem signis & effectibus
Instrvctio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40734

IO MANVALIS EXORCISMORVM

*Ex eruditorum quorumdam sententia alia de
ijsdem signis & effectibus INSTRVCTIO.*

SIGNA quibus obsessi dignoscuntur, sunt in triplici genere: quædam pariunt solum suspicionem, alia coniecturam vehementiorem, alia deniq; certitudinem non nullam.

Primi generis sunt, 1. Mutatio subita in mores ferinos & agrestes. 2. Somnus grauis. 3. Se consecrasse dæmoni. 4. Inuocatio dia boli vt se arripiat. 5. Furia. Fallunt sæpè eiusmodi signa; aliquod tamen indicium faciunt accendentibus aliis, & dant occasionem inquirendi de aliis.

Secundi generis sunt, 1. Barbaræ & insolite vociferationes & vulnus belluini. 2. Horribilis & truculentus vultus. 3. Stupor membrorum, & omnium ferè vitalium operacionum priuatio. 4. Ingens inquietudo, adeò vt vno loco nequeat afflictus consistere, sed solitudines quærat, & desertis locis oblectetur. 5. Vires in corpore humano facultatem hominis excedentes. 6. Si variè torqueatur & deiiciatur, nunc in ignem, nunc in aquam, nunc ex alto præcipitetur, nunc se cultris laceret, nunc laqueo vel alio modo sibi vitam adimere tentet.

Tertij generis sunt, 1. Peregrinarum linguarum

guarum subitanea scientia extra suspicio-
nem diuini miraculi. idem iudicium de
scientia legendi, scribendi, cantandi arti-
ficiosè. 2. Si loquantur de rebus sublimibus
quas non didicerunt. 3. Si secreta reuelent
quæ scire non potuerunt homines sed dæ-
mones, ut sunt occulta peccata : aut referūt
quædam quæ locis distantibus fiunt. Ut ta-
men hoc signum certum sit, debet abesse
suspicio pacti cum dæmons, quale habent
diuinatores, qui similia produnt, & tamen
possessi non sunt. 4. Si postquam cessant
vexari, nesciant respondere de his occultis
de quibus locuti sunt: signum enim est, non
tam ipsos quædam dæmons per ipsos fuisse lo-
cutos. 5. Si omnino prohiberi nequeant
ne loquantur. 6. Si iussi inuocare Dei no-
men, nomen I E S V, aut alicuius Sancti, id
facere nequeant : si recitare non possunt
Psalmum aut Orationem aliquam deuo-
tam : si concutiantur, terreantur, impatiens
tes fiant, blasphemant adhibitis Reliquijs
Sanctorum, aut Agno Dei, cereo benedi-
cto, Cruce fronti impressa, aspersi Aqua be-
nedicta, adhibita sacra Eucharistia, aut in
aurem pronuntiato versiculo illo Cantici
Moysi: Deum qui te genuit dereliquisti, &
oblitus es Domini creatoris tui. si exorci-
smos non ferant, si ad ingressum Ecclesiæ
tumul-

12 MANVALIS EXORCISMORVM
tumultuentur: denique si Euangelium au-
dire, diuinis interesse vix cogi possint.

INSTRVCTIO III.

*De signis & effectibus maleficij, & quomo-
do discerni possint maleficia ab aliis natu-
ralibus morbis.*

PRÆTER ea quæ dicta sunt superiori Instructione, quæ huic etiam quæstioni ex parte deseruiunt, obseruabit curam animalium habens, vel Exorcista, maiorem esse incertitudinem signorum maleficij quam possessionis aut obsessionis: proinde cautè & circumspectè in hoc negotio procedet, ne cadat in varia inconuenientia præcipitanti suo iudicio (de quibus latius in Instructione I.) nec facilè de huiusmodi malis absolutè aliquid statuet sine prævio cōsilio Medicorum: verū, quia experientia docet, plerosque Medicos ferè omnia mala & accidentia hominibus obuenientia attribuere noxiis dispositionibus corporum, & rarissimè iudicare aliquem veneficio diabolico infectum, Exorcista non semper ita absolutè stabit iudicio Medici; quin etiam ex signis & indiciis infrà positis, & aliis variis circumstantiis, prudenter iudicabit de huiusmodi malis, consultis in grauioribus peri-

tiori-